



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum ordines debeant distingui per sacros, & non sacros? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

didit in diuersis . Et secundum hoc dicit Magist. * in
litera, quòd ecclesia alios ordines sibi instituit.

Ad tertium dicendum , quòd ordines principali-
ter ordinantur ad sacramentum Eucharistiæ , ad alia
autem per consequens ; quia etiam alia sacramenta
ab eo * , quod in hoc sacramento continetur , deri-
uantur . Vnde non oportet quòd distinguantur ordi-
nes secundum sacramenta .

Ad quartum dicendum , quòd angeli differunt
specie , & propter hoc in eis potest esse diuersus mo-
dus accipiendi diuina ; & idè etiam diuersæ hierar-
chiæ in eis distinguuntur . Sed in hominibus tantum
est vna hierarchia , propter vnum modum accipien-
di diuina , qui consequitur humanam speciem , scilicet
per similitudines rerum sensibilium . Et idè di-
stinctio ordinum in angelis non potest esse per com-
parationem ad aliquod sacramentum , sicut est apud
nos : sed solum per comparationem ad hierarchicas
actiones , quas in inferiores exercet quilibet ordo in
eis . Et secundum hoc nostri ordines eis respondent,
quia in nostra hierarchia sunt tres ordines secundum
tres hierarchicas actiones distincti , sicut in qualibet
hierarchia vna angelorum .

Ad quintum dicendum , quòd Psalmistatus non est
Ordinis officium Ordini annexum . Quia enim Psal-
mi cum cantu pronunciantur : idè dicitur Psalmi-
sta , cantor . Cantor autem non est nomen Ordinis
specialis , tum quia cantare pertinet ad totum cho-
rum , tum quia non habet aliquam specialem relatio-
nem ad Eucharistiæ sacramentum : quia tamen offi-
cium quoddam est , inter Ordines largo modo acce-
ptos , quandoque computatur .

ARTIC. III.

*Utrum Ordines debeant distingui per sacros &
non sacros?*

Ad tertium sic proceditur . Videtur , quòd Ordines
non debeant distingui per sacros & non
sacros . Omnes enim Ordines sacramenta quædam
sunt

li. 4. sent.
d. 24. q.
1. in fine.

* Al. qui

sunt. Sed omnia sacramenta sunt sacra. Ergo omnes Ordines sunt sacri.

¶ 2 Præterea, Secundum Ordines Ecclesiæ non deputatur aliquis nisi ad diuina officia. Sed omnia talia sunt sacra. Ergo & omnes Ordines sunt sacri.

*Inf. q. 53
a. 3. et 4.*

SED contra est, quod * Ordines sacri impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum. Sed quatuor inferiores Ordines non impediunt contrahendum, nec dirimunt contractum. Ergo non sunt sacri Ordines.

RESPONDEO dicendum, quod Ordo dicitur sacer dupliciter. Vno modo, secundum se: & sic quilibet Ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam. Alio modo, ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum: & sic Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. & sic sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacerdotium & Diaconatus, qui habent actum circa corpus Christi & sanguinem consecratum; & subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata. Ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti mundi sint qui sancta tractant.

*Sup. q. 5.
ar. 5.*

Et per hoc patet solutio Ad obiecta.

ARTIC. IV.

Vtrum actus ordinum conuenienter in littera assignentur?

153

Tho. in 4

sent. dist.

24. q. 2.

art. 2. q.

unica.

** Lib. 4.*

sent. dist.

24 per 10

tam dist.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod actus Ordinum inconuenienter in littera assignentur. Quia per absolutionem preparatur aliquis ad corpus Christi sumendum. Sed preparatio suscipiendum sacramentum pertinet ad inferiores Ordines. Ergo inconuenienter absolutio à peccatis ponitur inter actus sacerdotis.

¶ 2 Præterea, Homo per baptismum est immediate Deo configuratus, characterem configuratus suscipiens. Sed orare & offerre oblationes sunt actus immediate ad Deum ordinati. Ergo quilibet baptizatus